

poterat, nec Episcopi consensus aliquid operabitur, quia confirmat actum, quem ille facit; sed ille nihil agit, nec consensus aliquo modo suffragabitur; quia confirmans nihil de novo agit, sed tantum autorizat rei existentem, & sic non existentem non prodest, *c. inter dilectos, de fide instrumento. & per totum tit. de confirmatione nulli vel inuili*: conferunt ad hoc etiam quæ nos superius adduximus, ubi etiam quod per hoc confirmationis decretum extrajudicialiter expeditum, nihil juris alterius detrahatur, imò maneat illatum, istudque decretum nihil ponit in esse, quantum ad jus tertii, sed solum est quædam autoritas, quam præstare nullo modo potest Episcopus, se excusari, quod si fecerit & absque iusta & rationabili causa, potest adiri superior, qui aut eum compellat ad consentiendum, aut vel ipsemet consentiat: de quo est text. *in c. nullus de jure patronat.* ubi Doctores omnes, & præcipue Abb. ita exactè Lamb. (plures & utiles ex eo deducens questiones) *in 20. art. 1. q. princ. 2. p. dist. lib. 1. n. 46.* hoc declarat, ut in casibus, in quibus potest adiri superior, propter denegatam confirmationem, consensum, consilium, licentiam, autoritatem, absolutionem, & similia (ad quæ extenditur dispositio *d. c. nullus*, ut alios ipse *ibi n. si.*) sit omnino adendum per viam querelæ, & non per viam appellationis, ita etiam tenet Barba *in c. ceterum n. 11. colum. versiculo in adde. de judiciis*, dicit plura quæ per te ipsum vide, sed contrarium verius est, imò per viam appellationis posse adiri, ut ex multis probamus *infra cap. sequenti* circa licentiam denegatam beneficiario, ut possit abesse à beneficio, ut ibi latissimè videbis à *n. 27. & sursum.*

42 Hæc tamen doctrina eandem distinctionem, seu declarationem pati, dubium non est, quam cætera decreta, & præcipue confirmationis patiuntur, prout factis remanet probatum superius, dum firmavimus, ut scilicet procedat, quando expediatur sua primæva natura retenta, scilicet extrajudicialitatis, & absque contradictore; si verò contradictor apparet, allegans legitimas exceptiones, cum judicialiter super eis debeat procedere ordinarius, & causa per diffinitivam terminanda, utique appellatio suos habet effectus; multæ enim sunt legitimæ exceptiones, quæ hujusmodi confirmationis decreto possunt opponi ab interesse habente; ut quando facta fuit donatio juris patronatus sine dicto Episcopi consensu, & postmodum facta est alteri illi interveniente, ut primus si perat confirmationem; secundus possit legitimè contradicere, cum sua donatio prævaluisset, de quo per Lambert. *supra 19. art. 1. q. princ. d. 2. p. d. lib. 1.* & de aliis exemplis videre poteris *ibi art. 18.* & per totos articulos, ubi de legitimis exceptionibus tibi constabit.

43 Et in terminis nostri dubii ultra doctrinas & autoritates supra adductas, magis in specie probatur in una Rotæ decis. Lucana plebis seu Parochialis 8. Junii 1572. coram Domino Lanceloto, seu Benarino, ex qua apparet, quòd cum fuisset datus delegatus à Papa, ut confirmaret donationem juris patronatus, & ipse ad eam processisset judicialiter, voluerit confirmationis, & institutionis sententiam exequi, appellatione pendente, & Rota decrevit in hæc verba: Domini dixerunt possessionem esse attentatam, quia captam appellatione pendente, non obstat quòd ordinarius processerit tanquam exequutor deputatus in confirmatione donationis, quia hoc non procedit, quando assumit partes Judicis, Felin. *in cap. fin. de presumption.* & pronuntiavit parte citata institutionem faciendam, non obstat, &c. (*& ibi*, secus in casu isto in quo agitur de jure patronatus, & institutione facienda vigore illius, &c.) quam decisionem aliud agens adducit ad litteram Nicolaus Garcia de benef. 4. p. c. 9. n. 18.

44 Ex quo duo utiliter colliguntur simul ad nostrum propositum, ut exequutor datus ad confirmationem

hujusmodi donationis, procedere potest extrajudicialiter & de facto, & ob id ab illo minimè potest appellari. Secundum; ut quando procedit judicialiter cum partis citatione, & cum diffinitiva in contradictorio judicio, & ob id causa effecta fuit appellabilis, quæ decisio rectè probat hujus dubii resolutionem, convenitque cum aliis decisionibus, quas ad eandem doctrinam supra adduximus, & ita deneganda est iudicis violentia in hujusmodi decreti appellatione, ex modo etiam procedendi, quo fuit usus, an judiciali, ut tunc appellatio delationem desideret, an extrajudiciali absque contradictore, ut tunc vim non fieri declaratur, prout etiam præfactum dubium, quando de eo sui consultus, resolvi, respondens.

CAPUT XV.

A mandato de residendo beneficium; vel de ordinando de ordine ei necessario, ac etiam à visitatione, an vis fiat, si appellationi interpositæ minimè sit à iudice delatum.

SUMMARIUM.

- 1 Residentia beneficii præceptum est sententia interlocutoria habens vim diffinitivam.
- 2 Residentia præceptum si expeditur absque causa cognitione, est actus extrajudicialis.
- 3 Residentia præceptum non requirit citationem judicialem.
- 4 Residentia præceptum non suspenditur per appellationem, sed ea non obstante opponitur beneficiario substitutus. Concil. Trident. sess. 23. de reform. c. 1. circa residentia præcepta explanatur, *ibid.*
- 5 Residentia ab ipso præcepto non datur appellatio; quominus absens compellatur residere, & deinde substitutus congrua portione.
- 6 Residendi à præcepto dicitur frustratoria.
- 6 Appellatio si negetur à causa principali, pariter negata censetur à præambula compulsione.
- 8 Residentia pena per diffinitivam imposita in contumaces absentes non recipit appellationem.
- 9 Trident. sess. 23. c. 1. circa non residentes loquens, declaratur.
- 10 Resident neglecta penâ appellatione & inhibitione non obstantibus, exequenda contra absentes sive contumaces sive non contumaces, decrevit Senatus supremus.
- 11 Non residentia pena imposita parochis, non extenditur ad non residentes beneficia simplicia.
- 12 Residentia est de jure divino in animarum curam, seu gubernationem habentibus.
- 13 Non residentia pena non recipit appellationem quoad suspensivum, secus quoad devolutivum.
- 14 Trident. removens appellationem intelligi quoad suspensivum sæpe declaravit sancta Congregatio.
- 15 Residentia monitorium, & præceptum extrajudicialiter expeditur, penarum verò impositio per diffinitivam juris ordine servato.
- 16 Non solum in Parochialibus, sed in aliis simplicibus beneficiis.
- 17 Contra non residentem sive sciatur ubi sit sive non, ad beneficii privationem quomodo sit procedendum, & quod tempus absentia requiratur.
- 18 Monitorio trina non est necessaria contra non residentem, sive absentem, sive presentem, si commode citari potest personaliter.
- 19 Et tunc quod tempus absentia requiratur.
- 20 Non residentis citatio ubi agitur ad privationem non sufficit extrajudicialis.
- 21 Contra non residentem ubi agitur ad privationem fruc-

- 22 Etum alias penas arbitrarias, an & quando trina citatio sit necessaria.
- 2 Determinatio una, respiciens plura determinabilia, illa pariformiter determinat.
- 3 Non residente monito à quo incipiat currere tempus, quo debet expectari, antequam ad privationem deveniatur.
- 24 Contra non residentem sententia privationis, qua non est servatus juris ordo, exequi non potest appellatione pendente.
- 25 Non residens ex justa tamen causa aut impedimento, seu licentia condemnatus ad privationem, &c. an queat appellationem suspensivam interponere.
- 26 Residentia materia, & qua beneficia illam exigant; & qua persona excusentur, & de licentia quando concedenda, vel non, & qui sine ea possunt abesse, & de aliis remissive.
- 27 Licentiam absentia ab ordinario negante appellationi emissa, an sit deferendum.
- 28 Abesse an possit beneficiarius pendente appellatione à denegata licentia.
- 29 Licentiam absentia non sufficit petere, sed & obtinere.
- 30 Appellatione pendente parti & iudici non permittuntur, quæ ante appellationem non poterant geri.
- 31 Fructibus & re, non privatur quis appellatione pendente.
- 32 Licentia absentia expressè concedenda.
- 33 Actus negativus secum trahit executionem.
- 34 Ab ordinis requisiti suscipiendi decreto appellationi emisse per beneficiarium an sit deferendum.
- 35 Annus ad ordines suscipiendos à quo tempore currere incipiat.
- 36 Ordines quales, & qua beneficia requirant, & qua pena plebantur beneficiarii ob non receptos intra annum, & qua impedimenta illos excusent, & de aliis hujus materie questionibus, remissive.
- 37 Canonici non ordinati non habent vocem in Capitulo.
- 38 A præcepto de suscipiendis ordinibus necessariis appellationi deferendum non est.
- 39 In spiritualibus iudex potest incipere à præcepto.
- 40 Monitorium de ordinibus suscipiendis est actus extrajudicialis.
- 41 Appellationi à mandato de suscipiendis ordinibus deferendum non est.
- 42 Ecclesia favor aut cultus divinus suspendunt appellationis effectum, qua non causant attentatum.
- 43 A sententia diffinitiva, qua quis privatur beneficio ob non susceptos ordines necessario appellationi emisse an sit deferendum.
- 44 Ab eo, quod sit in executionem canonicorum decretorum non licet appellare.
- 45 Sententiam privationis, & aliarum penarum ob non susceptos ordines intra annum appellatio non suspendit.
- 46 Sententia privationis vel compulsione suscipiendorum ordinum suspenditur per appellationem, ubi allegatur de legitimo impedimento.
- 47 Quod procedit, quando ex actis evidenter de legitimo impedimento constat.
- 48 & 49 Ab ordinibus susceptis suspensus an pendente appellatione possit accedere ad alios, & an illis possit interim uti.
- 50 A visitatione & morum correctione appellatio, nec inhibito executionem suspendit. Trid. sess. 24. de reformat. c. 10. explanatur, *ibidem.*
- 51 Trid. sess. 13. c. 1. explanatur.
- 52 Remedio ad innocentiam præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem non est abutendum.
- 53 Visitations, & correctionis causa ante diffinitivam non recipit appellationem.
- 54 & 55 Visitations causa non suspenditur per appellationem.
- 56 Visitations diffinitiva admittit appellationem devolutivam, non suspensivam.

Salgado de Protec. Reg.

- 57 Residentia mandatum in visitatione edictum non recipit appellationem.
- 58 Visitatio recipit appellationem, ubi privilegium exceptionis quis docet.
- 59 Trident. sess. 24. de reform. c. 10. declaratur, & seqq.
- 60 Privilegium exceptionis, si proveniat ab immemoriali, an admittit appellationem à visitatione.
- 61 Visitations extrajudicialem, & ejus executionem an impediatur appellatione vigore privilegii, & quid in judiciali.
- 62 Visitatio citata parte & cum causa cognitione facta recipit appellationem.
- 63 In visitatione extrajudicialiter facta ordinarii recusatio non advertitur, secus ubi agitur judicialiter.
- 64 Cultus divinus celerem executionem exigit, & non recipit appellationem.
- 65 Visitatio & morum correctio propter excessum admittit appellationem.
- 66 Extrajudicialiter proceditur in visitatione & correctione sui primæva natura retenta.
- 67 Visitations materia remissive.
- 68 Episcopo asserenti in aliquo casu se procedere per visitationem, statur quoad appellationis receptionem.
- 68 Trident. sess. 22. de reform. c. 1. circa renovandas penas decretorum tractantium de honestate Clericorum appellatione remota.
- 70 A visitations casibus, quibus appellatio permittitur, causa gravaminis erit exprimenda.

CIRCA prioris hujus capitis partis, de residentia, inspectionem, notandum censo, ut licet præceptum iudicis jubentis, clericus ut resideat in beneficio, residentiam sui natura requirentem, sub pena, & comminatione privationis ejusdem, sit interlocutoria sententia vim diffinitivam habens, cap. 1. & ibi notat, de cleric. non resident. Panormitan. Decius & alii *in c. pervenit de appellation.* Barba, *in rubrica de sentent. & re judic. in clem. col. 2. Rebuff. in præfat. l. quod iussit, numero 50. de judica.* à quibus posse appellationem emitti, latè diximus supra, c. 1. hac 2. p. a principio.

Quod intellige, & declara, tunc hoc præceptum seu monitionem vim habere diffinitivam, quando scilicet expediatur cum causæ cognitione; aliter namque istum præceptum, seu monitorium est omnino extrajudicialis actus, & extrajudicialiter expeditur, ita tenet Philip. *in c. pervenit, 2. 3. not. de appell. dicens*, quòd quando fit præceptum ut aliquis resideat in ejus beneficio, non requiritur monitio, seu citatio judicialis; sed sufficit extrajudicialiter, & ante fin. *ibi in d. c. pervenit.* quod quando fit præceptum cum causæ cognitione habeat vim diffinitivam, non aliter, & ibi not. Joan. Andreas per ea quæ habentur *in c. dudum, el 2. de electione.* Bart. *in l. non fatetur, ff. de confessis*, & est de mente gl. *in c. ex parte in Christo de ver. signif. & Spec. in tit. de appell. §. 1. vers. in quibus*, bene Abb. *in rub. de sent. & re jud. n. 8.* post alios.

Tamen iustissima rationis motu Alex. III. *in c. 4. pervenit, el 2. de appell.* respondit, appellationi à monitorio facto absentis canonico, ut in Ecclesia resideret minimè esse deferendum, sed ea non obstante, posse procedere ordinatum ad compulsivum, & appositionem vicarii, substituti, ut admoniti vices sustineat; assignata ei de fructibus beneficii congrua sustentatione, & si monitus nihilominus nolit monitorio acquiescere privetur eodem, & alteri, personæ idoneæ conferatur. Idem etiam renovatum fuit sacro Tridentino decreto sess. 23. de reform. c. 1. vers. quod si, in hæc. Quod si per edictum citati, etiam non personaliter per contumaces fuerit, liberum esse vult ordinariis, per censuras ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere, nec executionem hanc quo lib.



privilegio, licentia, familiaritate, exceptione, etiam ratione, cujuscunque beneficii pactione, statuto etiam juramento vel quacunq; auctoritate confirmato, consuetudine, etiam immemoriali, quæ potius corruptela censenda est, sive appellatione. aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis, suspendi posse, &c.

Circa quorum jurum dispositionem duo sunt nobis distinguendi casus ut facillè queat cognosci, quandovis in hujusmodi executione committatur sprete appellatione, alter, considerantes ipsa monitoria simpliciter & de se, cum pœnarum comminationibus, & compulsione antequam ad pœnarum executionem, scilicet; fructuum subtractionem, aut beneficii privationem; alter est ipsa privatio seu pœnarum executio. Et quoad primum dico, quod quando clericus monitus est ab ordinario, ut infra aliquem competentem terminum accederet ad residendum beneficium quodlibet, residentiam desiderans, appellationi ab hoc monitorio interposita minimè vim fieri, non deferendo, imò ea reclamazione, & recursum non obstantibus, potest ordinarius actualem compulsione procedere, & vicarium deputare de fructibus beneficii sustentandis, abique reatu attentati, ita probat text. in d. pervenit el. 2. de appell. & ibi Abb. & ceteri, & ita per illum text. affirmant Maranta speculo advocat. 3. p. 6. p. princ. q. 2. n. 184. Petrus Dueñas in regul. 42. n. 19. Cardin. in el. 1. nota. 9. vers. quartus in appellante de sequestrat. posse, & fructuum. Pavinus in tr. de visitat. q. 10. p. n. 7. Manf. lib. 2. pract. concl. super attentat. 50. Lancelot. Robert. de attentat. 2. p. c. 12. limit. 18. num. 1. & 2. Menoch. de arbitra. jud. lib. 2. cent. 1. casu 69. nu. 11. Marq. in tr. de commiss. appellat. extra Rom. Cur. 1. p. c. 6. nu. 77. fol. 77. Quintil. Mando. in tr. de monitoriis q. 77. quæ est finalis, ubi hoc constantè affirmat, licet nec jura, nec aliquam ex auctoritatibus dictis alleget.

6 Et hujus rei rationem reddunt Doctores, præcipuè gl. in d. c. pervenit Franch. ibi in fin. Præposit. & alii, post quos & Lancel. num. 5. & 6. ut hoc inducat favor Ecclesiæ & divini cultus, ex eo, quia ab hoc præcepto appellatio præsumitur à jure frustratoria, quam expressè reddit d. c. pervenit ibi, frustratoriam dilationis causa videatur dictus Canonicus appellasse, quibus illam adde, quæ convenit præcepto extrajudicialiter expedito, prout sui est primæva natura, ad principium dixi, ac ideo tunc, & ex hac ratione appellatio non suspendit, ut latè probavimus supra c. 13. in hac 2. p. & c. 14. à principio.

7 Quod & eo etiam probatur, quia quoties in aliquo principio negotio non datur appellatio, censetur etiam negata à præambula compulsione, ut est celebris doctrina Ancharr. consil. 48. quem referens sequitur Card. Tufchas in tomo. 1. consil. 181. post num. 11. sed in nostro casu non admittitur appellatio ab ipsa sententia principali qua pœnæ imponuntur non recedentibus, ut statim videbimus, ergo nec ab hoc præambulo monitorio & compulsione.

8 Circa autem alium casum, quando ad subtractionem fructuum, & beneficii curati privationem devenitur, & residere recusantes ordinarius dictis pœnis per diffinitivam sententiam coëctet, dico appellationem effectum sententiæ non impedire, nec in denegatione delationis violentiam adesse, id probant text. in d. Concil. Trid. d. sess. 23. c. 1. ubi de curam habentibus beneficiis duntaxat, disposuit. text. etiam in c. relatum, ibi, nec patrociniari debet eis appellationi diffugium, si contra hujusmodi intentionem decreti fuerit interjectum, &c. (de clericis non residentibus. text. etiam in c. conquærente. ibi, vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat, sibi super præscripto beneficio silentium sublato impedimento appellationis, imponas, &c.) eodem titulo quorum jurum nullus ex præfatis Doctoribus meminit, nec recenset.

9 Ita in id etiam expedientes Trident. illud intelligentes

tantum in Parocho D. Joann. Ocon. Regius Senat. in c. 1. du Cleric. non residen. Licentiat. Antou. Gomez. in explicatione bullæ c. 7. ad 4. clausulam n. 35. & 36. D. 4. gum in repetitione c. 2. de sequestrat. posse. & fruct. num. 5. Nicol. Garcia de benef. 3. p. 2. nu. 161. dicentes præfatum Tridentini decretum, dum disponit; executionem sententiæ privationis, & similibus pœnarum appellationem, seu inhibitionem non expediti, generalitèr accipiendum, intelligendum esse contra absentes, sive inobedientes, sive contumaces, & ita in supremo Senatu fuisse obtentum, & ita etiam text. in d. c. relatum, gloss. ibi verbo diffugium, intelligit & interpretatur de beneficio curato loqui duntaxat, text. verò in d. c. revenit el. 2. de appell. loqui in simplicibus, curam animarum non habentes, ac etiam omnes declarationes factæ super dicto Tridentini decreto, nominatim & in specie loquuntur de Parochis duntaxat, & sic extra illum casum jus commune omnino servandum est; l. precipimus C. de appell. quia dispositio limitata ad unum casum non ad alios est extendenda, l. age cum Geminianno, C. de transactio. cum vulgatis, restringitur ad suam causam, l. cum Pater §. dulcissimo, ff. de legat. 2. l. 1. in fin. ff. de fonte. Cravet. consil. 16. n. 5. Petrus Surd. decis. 95. n. 28. & consil. 50. n. 58. & faciunt, & omnino, quæ in similibus terminis dicit Perez de Lara. de annivers. & Capell. lib. 2. c. fin. quod est c. 11. n. 7. & Gomez. de mens. ali. g. 9. in an. n. 209. & n. 184. supra & quæ ipse §. 5. præambulo à n. 125. & nos supra hac p. c. 13. ergo Parochiales à n. 180.

Cum præcepto divino sit in Parochialibus, & his, quæ habent animarum regimen, curam, & gubernationem, Sacramentorumque administrationem, personalis residentia necessaria. Joan. XXII. c. Pasce oves meas. act. 20. Ephesios 43. c. sicut 7. q. 1. c. qui Episcopatum 8. q. 1. c. præcipue 1. q. 1. c. gloria Episcopi 12. q. 2. & expressè probat Trid. in d. cap. 1. d. sess. 23. de reform. in princ. cum præcepto divino mandatum sit, &c. & imò omni jure non solum canonico, & divino, sed etiam naturali hæc inducta sit in Parochialibus residentia, ex quo tenentur pascere greges. Probatur iterum Trid. sess. 6. c. 1. de reformatione, & post alios decent Cajetanus 2. 2. q. 185. art. 5. & in summa verbo, beneficium Ecclesiasticum, Caranca, & Franc. Torren. de residentia, & comm. Regis. c. 1. Soto. de just. & jure, lib. 10. q. 3. per totam, & in Apologia contra Catharinum, c. 1. Alphonsus de Castro de justa heret. puni. c. 3. lib. 3. Cordub. l. 1. qq. 10. Valent. 3. tom. disp. 10. q. 3. pun. 5. Paul. Grisal. in decis. Catholicis, verbo, Episcop. Bot. de Synodo 3. part. art. 1. nu. 150. Covar. l. 3. variar. c. 13. num. 9. ubi alios refert Navarr. Vargas de Episcoporum jurisdictione, axioma 12. Ferretus consil. 32. ex n. 32. Azeved. in l. 27. tit. 3. lib. 1. recopil. 8. Melchior Gallego in tract. de Parochorum obligatione tempore pestis 1. p. disp. 1. à num. 56. Quintanadueñas Ecclesiast. lib. 4. n. 50. & 51. Cenedus in collect. 30. ad 6. nu. Cevallos q. 585. à n. 1. Vidal. in append. sui Cand. aur. c. 9. n. 6. & 7. Zechus de casib. reserv. casu 6. & in de beneficiis n. 6. & de munere Episcopali c. 5. n. 3. Vega in Episc. de curis c. 17. & ideo nihil mirum, ut eis in hoc etiam specialiter consulatur, & propter speciale majus & ingens periculum imminens, præstantius remedium præstetur.

Hoc tamen, quod diximus, per Concilium esse prohibitam appellationem ab hac sententia privationis beneficii, & aliarum pœnarum juxta Concilium; evidenter intelligendum est de appellatione quoad effectum suspensivum, non autem quoad devolutivum, ut probatur ex eodem Conc. ibi: nec executionem hanc privilegio, &c. suspendi posse, &c. & sic suspensionem tantum prohibet, & ex aliis Concilii capitibus removen. 14

Et in hoc etiam constitui potest differentia inter utrumque ex duobus præfatis casibus supra; ut scilicet

in simplici præcepto, & monitorio, quod expeditur extrajudicialiter, nullo juris ordine servato, prout dictum est superius. At verò ad privationem beneficii vel fructuum detractionem, debet omnino fieri juris ordine servato in contradictorio judicio, & cum plena causæ cognitione, ut ita declaravit sancta Congregatio Concilii in d. c. 1. sess. 23. de reformat. super verbo, quod si per edictum, ubi in hæc dicit: Parochus, qui non vult in sua Parochiali residere, debet ea servato juris ordine privari, & in eod. c. 1. ibi (causa prius per Episcopum cognita, &c.) præcedente legitima citatione, causamque per sententiam diffinitivam condemnatoriam, non declaratoriam terminandam, non solum in Parochialibus; sed etiam in ceteris beneficiis simplicibus; & dignitatibus, residentiam requirentibus, ut videre est ex his, quæ Nico. Garcia aliis relatis, disputat in d. 3. p. c. 2. n. 135. cum seqq. & supra.

17 Illud est igitur observandum ab ordinario, dum velit, contra non residentes procedere ad privationem beneficii, & in primis si beneficiarius sit absens & ignoretur ubi, vel etiam si sciatur, commodè tamen citari non potest personaliter; debet ante privationem adesse absentiam semestrem, & prius trina monitio per edictum cum competentem termino procedere, alioquin privatio nulla erit; ita sæpè Congregatio Concilii censu super d. c. num. 1. ibi, quod si per edictum citati, &c. respuit modum procedendi contra absentes, & ibi, usque ad privationem, &c. intelligendum exclusivè, usque ad privationem, dum tamen præcesserunt tria edicta publica, & lapsi sint sex menses, juxta c. ex tua de clericis non residentibus, hoc idem probant Abb. & si Doctores in c. quoniam frequenter §. porro, n. 10. & 11. ut lire non constet. Salva de benef. 4. p. 5. Marant. in speculo advocatorum 6. p. de citatione n. 91. Zerol. in praxi Episcopali 1. p. verb. privat. nu. 3. & 4. Lechus de repub. Ecclesiast. tit. de beneficiis, num. 9. vers. quod attinet verò ad praxim.

18 Quando autem proceditur contra beneficium non residentem, præsentem tamen, vel absentem, & scitur ubi sit, & commodè personaliter citari potest; tunc omnimodò citandus est personaliter, nec est necessaria, nec requiritur tunc trina monitio prædicta; quod duntaxat procedit, & locum habet in processu contra absentem, ut ex dictis apparet, & ita plures decisum fuit in sacra Rota, ut in una Guienen. Canonicatus de Ubeda 11. Decembris 1587. coram Mantica, & in una Zamorensi Capellanæ 12. Junii 1589. coram eodem; & in causa Terdomensi præposituræ 17. Maii, & 5. Junii 1600. coram Serafino; & tenet etiam Garcia supra nu. 154. & seq. resolventes, quod tunc Ordinarius non teneatur expectare sex menses prædictos, sed tempus erit arbitrium.

19 Ab isto tamen, scilicet, Garcia, omnimodò cavendum est; dum dicit ibi, ut isthæc unica citatio possit esse extrajudicialis, quoniam nullo modo potest, jure probari, siquidem licet monitio de resistendo possit, sit extrajudicialis, ut dictum est, tamen quando proceditur ad privationem, &c. judicii forma est servanda, jurisque ordo simul, ut ex declarationibus supra apparet, & simul procedere judicialiter, & extrajudicialiter oppositum est sibi ipsi contrarium, & ideo citatio judicialis tunc est, imò præfata decisiones proximè ad legatæ, expressè dicunt; sententiam privationis hujusmodi esse nullam, cum citationes non fuissent legitime, ut debebant, & circa hæc vide, quæ diximus latè in c. 3. supra, ubi de modo procedendi in judicialibus & extrajudicialibus, & in quibus unum ab aliis cognoscatur, & distinguatur docuimus, quæ huc conveniunt. Imò ubi beneficium vacat ipso jure, ut ab illo ejiciatur possessor; debet citari & procedere causæ cognitio text. capitalis in c. licet Episcopus de præb. in 6. & quæ copiosè dixi infra p. c. 7. per totum.

Dubium tamen est, quando proceditur contra absentes ad alias pœnas, puta detractionem fructuum, & similibus, quæ arbitrio ordinarii relinquuntur à Trident. & declaratione sacra Card. præter privationem; dicta citatio trina per edictum (de qua diximus) sit necessaria. In quo affirmativè respondeo, ut expressè decidit Rota in una Caurien. fructuum coram Domino Orano 10. Aprilis 1592. ut testatur Garcia supra num. 196. d. 3. p. cap. 2. idem tenet Abb. consil. 67. p. 1. Felin. in c. consiluit nu. 13. de offic. delegat. adversus quos ipse Garcia ibi nulla adducta auctoritate, doctrina, nec ratione in oppositum se inclinatur, ad dens, ut tunc nec esse necessarium, expectare prædictos sex menses. Qui audiendus non est, siquidem Concilium Trident. & declarationes indistinctè dum requirunt edicta, loquendo in omnibus prædictis pœnis, infirmis & uno contextu sub uniusque orationis sensu procedunt, & ideo communis debet esse omnibus casibus dispositio, cum una determinatio respiciens plura determinabilia, illa debeat pariformiter determinari, l. jam hoc jure ff. de vulgari.

Duo tamen te volo admonere, quæ ex prædictis tribus Rotæ decisionibus colliguntur, quas ad litteram 23 refert Garcia ibi n. 156. Primum, ut dicti sex menses, quibus tenetur Ordinarius expectare absentes, incipiant currere post ultimum edictum, ut constat ex d. dec. canonicatus de Ubeda ad medium, ibi, debet in ejus Ecclesia trina citationis edictum publicari, & post ultimum edictum per sex menses expectari, &c. & omnes firmant, non expectato dicto tempore, processum non excusari à nimia festinatione, & præcipitatione. Secundum autem quod ex d. decisionibus notandum 24 est, & præcipuè ex d. decis. Terdonen. præposituræ ut in casibus, quibus non esset aliàs licita appellatio à privatione beneficii, & ejus alteri facta collatione, sed ea non obtante possit appellari; non procedat, nec locum habeat; quando nulliter processum est, & juris ordine non servato, defectu citationis, seu edictorum, quoniam tunc ipsa privationis sententia non merebitur executionem appellatione pendente, quod enim nullum est, nullum parit juris effectum, de quo nos latius infra 3. p. ex quo limitabis Trid. decretum in d. c. 1.

Ultimò circa illud quæro, an Parochus, qui abest 25 ex justa causa, vel licentia, aut aliàs est legitimo impedimento detentus, an dictæ privationis seu detractionis fructuum, &c. à sententia appellans, sit deferendum. In quolibet distinguere, quod cum (ut dictum est) ad hujusmodi pœnarum imponendarum processum ordo juris sit servandus, & causæ cognitio adhibenda super legitimatione exceptionum beneficiarii, & impedimentorum licentia, natura, & qualitate beneficii, & similibus, tunc si nihilominus Ordinarius sententiam condemnatoriam proferat, pro ea est præsumendum, & sic appellatio non impedit executionem; & illud non nullitatem, sed atineat justitiam, vel injustitiam partis, cujus cognitio semper superiori Ecclesiastico pertinet ad quem reservanda est, ut in alimentis, possessoriis, & similibus, & probant expressè verba Concil. Trid. d. c. 1. sess. 23. ibi, nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscunque beneficii pactione, &c. sive appellatione, & inhibitione, &c. suspendi posse. Quæ verba cum clara sint, cavillationem subterfugiant. Si verò dictæ exceptiones licitæ, & excusantes à residentia evidenter & notoriè ex actis appareant, seclusa omni fraudis, & poli suspitione, cum tunc hæc notoria injustitia nullitati æquiparetur, quoad impedendum sententiæ: cujuscunque, etiam privilegiatæ executionem, ut dicemus infra 3. p. c. 9. hinc est, ut omnimodò esset ejus appellationi deferendum à judice, declarandumque in Senatu: & ita interpretandus, & intelligendus est text. in c. inter quatuor, ibi, possunt eis justè privari, dummodo non sunt justo impedimento detenti, &c. de clericis non recipien.